

כל בשמורה רמן יושא משיחא

הקרמן



Iicuti jucundum totius universi Luminare,
Solem innuo, radiorum jubare facile re-
liquis cœli incolis palmam præripit, &
tamen suis deformitatibus, qvas maculas
nuncupare assolent, haudqvaquam de-
stituitur. vid *Cherubin d' Orleans in Dioptri-
que oculaire Part III. Chapitr. VII. p. 303. sqq;*
ita Simson Solis instar inter Israelitas co-
ruscans, nævis quoqve insignibus conspi-
cius fuit. Vim nominis שׁוֹמֵן spectes,

Solem contueris, uti enim æqvipollenti vocabulorum significatu
& זְכָרוּן זְכָר memoriam designat, ita five שׁוֹמֵן. שׁוֹמֵן dicas,
nihilo minus utrâqve harum vocum *Solem* effers. vid. *Hilleri Onoma-
stic. P. I. p. m. 88. 191. P. II. p. 932.* ut non opus sit cum *D.N. Job. Schue-
zio in Apparatu Nominum propriorum Tom. IV. p 712.* שׁוֹמֵן pro diminu-
tivo agnoscere, & per parvum *Solem* exponere. Quemadmodum jam
illustrem Solis cœlestis faciem contemplari curiosi mortalium in
deliciis habent; cuius rei specimen præbuit *Christoph. Scheunerus* in
Tr. cui Tit: Apelles post Tabulam, & alio sub tit: *Rosa Ursina*; ita in
Solis terrestris five Simsonis nostri vitam ac facinora anxiè inquirere,
omnem movent lapidem. Infinitam hinc miscellorum Simtonitico-
ruin segetem deprehendi mus, cuius hic aliqualem proventum sub-
ministrare haud deero. Nim: heroicam Simsonis virtutem persequi
anhelavit *D. Ad. Reckenbergius* in *Disp. de Simone Heroe Lips: an. 1670.*
In ænigmati ipsius ingeniosi consideratione ingenii acumen exer-
cuere *Job. Frischmuthus* in *disp. cui tit. Simson ἀνίγματις* Jen. 1654.
Job. Ulricus Wildius in *disp. de ænigmate Simsonis* Lips. an. 1665, *Theod.
Kirchmajerus de Ænigmate Simsonis* Witeb. 1672. *D. Aegid. Strauchius
de Ænigmate Simsonis*, Ged. an. 1681. Vulpes revera à Simfone fru-
mentis Philistæorum immissos esse, evicere Reverendiss. Pomeraniæ
Svecicæ Rugiæqve Præsul, immortali vita dignus, *DN. D. MAYE-*

A

RUS